

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


VE
RI
TAS
ET
SIGILLUM ACADEMIAE HARVARDINAE IN NOV ANG
CHRISTO ECCLESIAE



V

Programm

des

städtischen Gymnasiums

zu

Kattowitz.

Ostern 1876.




Inhalt:



Kattowitz, 1876.

Druck von G. Siwinna.

1876 Progr. Nr. 149.


JUL 13 1893
LIBRARY

Tibulli elegiam libri primi quartam enarravit O. Diskowsky.

H. Bubendeyus in libello, quem inscripsit: Quaestiones Tibullianae, Bonn. 1864 p. 9. sqq. Tibulli elegiam 1, 4 hoc modo constructam esse dicit:

Initium: 3 + 1 (v. 1—8.)
Praecepta Priapi: 3 + 3 + 3 + 3 + 3 (1 + 3 + 3) (v. 9—52.)
Finis praeceptorum: 2 (v. 53—56).
Questus de avaritia puerorum: 2 + (3 + 3) (v. 57—72.)
Finis: 1 + 3 disticha: (v. 73—80).

His e numeris atque aliis quibusdam eo modo carminibus quasi discerptis docere vult, Tibullum carmina sua certa quadam strophica lege composuisse.

Quamquam concedendum est, Tibullum in sententiis exponendis vel in exemplis afferendis terna disticha saepe adhibuisse, tamen rationem illam probare non possum et iisdem de causis ac suis verbis, quibus Dissenium vituperat, quod omnia carmina ex exordio, medio carmine, exitu composita esse dixerit, Bubendeyus ipse vituperandus est, nam non minus quam Dissenius legem in carmina infert, non ex iis petit, neque merito talibus legibus mere externis quisquam vere poëta circumscribi potest.

Primum quidem, quae symmetria in iis insit numeris, non video, tum minime pertinent ad questus de puerorum avaritia versus 71, 72, quod distichon cum duobus praecedentibus in unum systema Bubendeyus coniungit; neque versus 75—80 systema trium distichorum efficere possunt, quod versus 75. prior pars coniungenda est cum versu 74. Versus 81—84 Bubendeyus de carmine removet, quod prorsus aliter ei dicti esse videntur ac reliquum carmen. Certe quidem cum iis qui praecedunt versibus omnino non cohaerent, sed hanc ob rem non delendi, sed alium in locum transponendi sunt, atque a carminis sententia tum minime haec verba abhorrere videbimus, multosque versus suum in libris manu scriptis locum non obtinere inveniemus, cum sententiae tenorem diligentius spectaverimus. —

Itaque H. Grothio (Quaestiones Tibullianae, Hal. 1872, p. 20.) assentior, Tibullum minime in omnibus elegiis certam compositionis legem secutum esse; nam hoc tantum satis constat, (cf. O. F. Gruppe, de elegia Romana, vol. I. p. 27 sqq. et C. Prien, de symmetria et responsione elegiae Romanae p. 3—10.) elegias libri IV, 2—7 omnes inter se ita respondere, ut invicem in altera elegia poëta ipse loquatur, in altera Sulpiciam loquentem faciat, singulasque tali modo compositas esse, ut sententiis aliis, quae inter se arcte cohaerent, aliae e pari versuum numero constantes respondeant.

Quam male et confuse textus carminum Tibullianorum traditus sit, iam Scaliger vidit, qui, quod ordo vel singulorum versuum vel maiorum poëmatis partium sententiae nexui repugnaret, primus in editione Tibulli, Catulli, Propertii carminum, Paris. 1577 versuum transpositione medelam abruptis sententiis adhibere magno acumine conatus est. Quam transpositionem ab omnibus usque ad A. Vulpium editoribus, qui 1749 priorem textus ordinem restituit, acceptam, inde a Vulpio et posterioribus editioribus usque ad nostrum tempus neglectam esse novimus.

Quod ad elegiam I, 4 attinet, versus 9—14 Scaliger in alium locum removit et 39—40 post versum 8 posuit, quod doctus vir censuit, Priapum non statim de ea amoris conditione loqui posse, ubi puer amatori primum petenti amorem recusasset, quum omnino nondum dixisset, quomodo adire deberet puerum amator. Eam autem transpositionem, quamquam ipse concedit aliquo modo hiare orationem hoc loco, Bubendeyus l. c. p. 13 „omni ratione destitutam artificiosamque" dixit, quod omnes versus, qui initio systematum positi essent, novi aliquid incipientes, nullo cum iis quae praecederent externo vinculo coniuncti essent. Quod quamquam propter laxiorem carminis elegiaci, imprimis Tibulliani, structuram concedendum puto, tamen Bubendeyus illud mihi neglexisse videtur, adversativam coniunctionem *„sed"* hoc loco non solum superfluam, sed etiam vitiosam esse. Dei enim dehortationi — sit venia verbo — ne omnino pueros amaret poëta, oppositam esse sententiam illam, quae in verbis *„sed ne te capiant primo si forte negabit taedia"* inest, nemo credat; ac mea quidem opinione hisce verbis poëtam ad perseverantiam deus cohortatur, quod tum demum facere potest, postquam interroganti indicavit, quibus rebus puerorum amor possit conciliari, ita ut parum verisimilia mihi videantur, quae Bubendeyus dicit: „talis igitur erit poëtae sententia versu 15: „sed — si nihilominus te credere vis pueris — ne te capiant taedia, primo si forte negarit", cuius orationis „ellipticae" ne unum quidem affert exemplum.

Fr. Haasius in disputatione de tribus Tibulli locis transpositione emendandis in prooem. Vratislav. aest. anni 1855 p. 5 de Tibulliani voluminis fato hoc modo disseruit: totum hoc dispar variorum carminum corpus collectum videri in domo Messallae, non ut in publicum ederetur, neque quod unius auctoris carmina essent, sed quod servarentur coniuncta, quaecunque ad Messallam eiusque familiam pertinerent. Aliquanto autem post poëtam carmina sua, novis studiis perpolita et emendata, in publicum edidisse, ita ut duplex exstaret Tibullianorum carminum collectio. Alteram publicatam, quae nihil contineret, nisi quae revera Tibulli essent, eaque novae recensionis, periisse atque in eius locum exemplum aliquod e Messallae domo prolatum successisse, in quo primam formam haberent Tibulli carmina et coniuncta essent cum aliorum auctorum diversis carminibus Messallae domum spectantibus.

Ea autem res minime justam transpositionis causam affert; non enim satis intellegitur, qua ratione singulorum carminum textus discerpi potuerit, nam confuse atque sine ratione carmina primae recensionis conscripta fuisse non putaverim. Optime igitur de textu restituendo atque ordinando Fr. Ritschelius meritus est, quod veram textus perturbationis causam invenit hanc: „Libri manuscripti nostri, inquit, descripti sunt ex pervetusto codice, quales inter V et VIII saeculum esse solebant, cujus in singulis paginis foliorum, quorum bina quaternionem efficiebant, seni versus vel potius duodeni dimidiati scriptura unciali inscripta erant; tum, quaternionum conjunctione soluta, singula folia scribae extra ordinem ad manum fuerunt, itaque sive falsa foliorum versione sive singularum paginarum textus omissione tantae perturbationis facillime existere potuerunt.

Atque elegiae I, 4 quoque textum eo modo perturbatum neque recto ordine nobis traditum esse doctissimus vir in actis soc. lit. Sax. anni 1866 p. 57 sqq. clarissime docuit atque simul secundum illam, quam modo diximus, codicis pervetusti cognitionem medicas manus applicavit atque totius carminis versus collocandos esse censuit hoc ordine: 1—14, 39—56, 71—72, 21—26, 15—20, 27—38, 73—84, 57—70.

Cuius transpositionis causas ill. vir, sententiarum dispositione facta, protulit has: carmen a Tibullo non ordine nobis tradito conscriptum esse posse, primum quod in oratione Priapi et asperae transitiones et sententiarum nexus interrupti inessent, deinde quod dei praecepta generalia et singularia sine ordine miscerentur, tum quod versibus 57—70 digressio ab orationis perpetuitate efficeretur. Jure interrogat, quid querellae de puerorum avaritia sibi velint post res, quibus amor illorum comparetur. Longe ait bess e a Priapi natura Musarum artes, quas pueri pluris aestimare jubeantur quam munera aurea. Neque immerito quaerit, qua de causa deus pueros, non poëtam alloquatur, cui praecepta det. Quae verba poëtae potius esse tribuenda, qui lenti amoris Marathi sui recordatus, de pravis saeculi moribus queratur, cum suspicetur — id quod Gruppius l. c. recte admonuit — puerum dilectum auro fidem rupisse seque diviti dedisse amatori. Quo argumento quamquam nihil gravius quisquam potest afferre, tamen hoc addere mihi liceat, cur haec verba deus dicere nequeat: Initio carminis satis manifesto continetur haec sententia: etiamsi pulchritudine careas, tamen formosos — scil. pueros — bene capere scis itaque non habuit deus, quod quereretur.

Hanc carminis partem sequuntur versus 71 et 72; quum autem nihil pertineant ad Musarum artes, non merito hunc locum obtinent. Quod distichon Ritschelius dicit in marginem folii alicuius post additum, forte in hunc locum venisse, ponendum autem esse post versum 56, quo apte dei praecepta singularia concludantur.

In versu 15 non aptam esse particulam *„sed"* cum sententiae — v. 9—14: omnino pueros fugias, quod nimia gratia in amorem pelliciunt; v. 15—20 ne nimis praepoperus sis, nam perseverantia tandem quod voles, adipisceris — quae minime sint adversativae, altera alteri opponantur.

Recte doctissimus vir dicit, post dehortationem poëtae deum pergere non posse: sed ne te capiant, primo si forte negabit, taedia; potius ei dicendum esse: dehortor, ne omnino pueris operam des, nam difficile est, amorem eorum adipisci; si autem vis, haec accipe praecepta; qua de causa etiam *„tu"* — qui ad quaestionem tuam me respondere vis — in versu 39 optime dicitur pro transitione a poëta de industria omissa. — Neque minus offendere, pergit Ritschelius, particulam *„nec"* qua versus 21—26 coniungantur cum versibus 15—20; his enim generale, illis speciale praeceptum contineri, quas sententias coniungi non posse particula *„nec"*, quod non pari sint vi.

Deinde in versibus 27—38 iterum datur praeceptum generale, quod sequitur speciale, ac recte dicit Ritschelius, aut generalia aut specialia praecepta a deo poëtae data primum locum obtinere debere neque sine certo ordine alia inter alia poni posse.

His expositis nobis spectanda erunt, quae contra illam viri eruditissimi versuum transpositionem dicta sunt a Grothio, qui l. c. p. 31 sqq. elegiae versuum ordinem libris manuscriptis traditum usque ad versum 56 integrum servari jubet, cum Ritschelium secutus versus 57—70 in fine ponendos esse censeat. Ac primum quidem, priusquam ad singulas veniam res, quin omnem Grothii argumentationem propter inconstantiam vituperem, facere non possum. Qua de causa cum Ritschelio versus 57—70 post versus 71—84 in fine collocat? — Certe quod

„ratiocinatonis et logicae dispositionis legibus“ paret, quibus, ut in priore carminis parte traditum versuum ordinem servet, haud magnam tribuit gravitatem. „Pulchrius quidem atque accuratius“ — dicendum fuit Grothio: e logicae legibus — carmen dispositum esse ait ea forma, quam Ritschelius ei tribuerit, sed sibi persuasum habere non posse ullum Tibulli carmen mutandum esse eam ob causam, quod non subtilissimis (sic!) ratiocinationis et logicae dispositionis legibus compositum sit“. —

Versus 15—20 non sequi posse versus 9—14 supra jam expositum est, et quum Grothius eadem ac Bubendeyus l. c. proferat argumenta, non habeo, quod quae modo dixi, repetam; nimis etiam incertum est, quod Grothius dicit: „id quod saepius fit“ atque „simili quoque modo saepius ct.“ Locos quibus poëta particula *„sed“* utitur si Grothius diligentius spectasset, eum latere non potuit, oppositionem semper vocabulo *„sed“* significari, cf. I. 10, 15, 53 etc. Versus 39—56 Grothio hanc ob causam alio transponendi non videntur, quod pronomine, *„tu“* aptissime poëta iis opponatur, quos deus maerentes viderit, quod tempus inutile praetermisissent. Concedendum est, bonam hanc interpretationem esse atque omnes consentirent, si modo eorum qui praecedunt versuum ordo sine perturbatione nobis traditus esset.

Minus probandum est, quod de conjunctione versuum 15—20 cum sequentibus 21—26 dicit. Ritschelius recte admonuit particula *„nec“* paria tantum dei consilia conjungi posse, contra quem Grothius non tam speciale esse hoc praescriptum dicit, ut inter illa generatim dicta apta non sit. Speciale autem hoc praeceptum esse inde apparet, quod non omnino de periuriis sed de Veneris periuriis agitur, quodque etiam singulae iurisiurandi rationes enumerantur, scil: per sagittas Dictynnae vel per crines Minervae. Ita quasi novo procreato carmine quaerendum erit, tenorne sententiae Ritschelii transpositione plane restitutus sit. —

Postquam deus poëtam versibus 9—14 interrogantem dehortatus est, ne puerorum petat amorem, a versu 15 praecepta specialia dat, quibus eorum amor conciliari possit usque ad versum 40. Nec vero nos perlegentes hos versus potest effugere, seriem praeceptorum intermitti versibus 29—32, quippe quibus non praecepta dentur, sed praeceptorum successus proponatur. Quid autem deo proponendus fuit successus, praeceptis omnibus nondum editis? In fine praescriptorum locum esse puto quattuor illis versibus, quod etiam vocabulo *„tum“* bis repetito significari mihi videtur; nam sensus certe est hic: tum demum, post tot labores, post tot artes, post tot dolos, quo volueris pervenies. —

Deinde quod Ritschelius dicit, seriem praeceptorum specialium, quibus studiosissimum obsequium praecipitur, apte concludi versibus 33 et 34 non sane probaverim; nam versibus 35—40 quoque praecepta generalia contineri, supra iam doctum est, tum autem abhorrent quasi servitia illa amoris et munera grata a blanditiis, querellis supplicibus, miseris fletibus, haec enim verbis, illa factis praestantur, quod apparet e Tib. I, 1,72 sq.

. . . . . nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capiti.

et ex Ovid. met. X, 259 sq.

Et modo blanditias habet, modo grata puellis
Fert illi

et ex Ovid. Her. XIII, 153 sq.

Illi blanditias illi tibi debita verba
Dicimus

Itaque versibus 33 et 34 deus complecti atque illustrare mihi videtur Veneris periuria et amoris affirmationes et inepte promissa, quam ob rem post versus 35—40 aptius ponuntur.

Quibus transpositionibus omnia dei consilia singularia uno sequuntur tenore atque optime post Veneris et earum rerum, quibus favet dea, mentionem sequuntur versus, quibus praeceptorum felix eventus et amoris successus proponitur. Itaque carminis versus hoc ordine legi velim: v. 1—14, 39—52, 21—26, 71—72, 53—56, 15—20, 27—38, 73—84, 57—70.

Versibus sic digestis etiam multo aptius coniungitur versus 41 cum praecedentibus, nam eo modo, quid amator petat et quid puer primo negare possit, clarissime declaratur. Neque omnino Wunderlichio assentior (nota ad v. 15 ed. G. Heynius, Leipzig 1817) dicenti, verbum „*negare*" absolute poni posse ea qua vult notione, scil. pro „*amorem recusare*" cum e locis, quos citat, contrarium eluceat ut ex Tib. eleg. II, 6, 27

Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa

ubi ex verbo „spondet" supplendum est: negat illa „sponsionem."

Ovid. amor. II. 19, 20:

. . . saepe rogata nega

ubi „nega" accuratius definitur voce „rogata".

Quomodo huc pertineat Catull. VIII, 9.

Nunc iam illa non vult, tu quoque impotens noli,

omnino non video ac minime h. l. „nolle"
idem est atque „amorem recusare", nam ad haec verba de iis quae antecedunt supplendum est: „iocosa illa, quae olim volebat puella" nunc iam non vult.

Addo Hor. II, 12, 25 sq.

Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem, aut facili saevitia negat,

ubi „oscula" dicta sunt, quae Licymnia aut dat aut negat.

Haec igitur exsistit sententia: si primo conatu oscula et amplexus pueri non potueris adipisci, amorem ne statim mittas, sed in artibus adhibendis, quas dixi, pergas, nam paullatim quod petiveris assequeris. Aptissime hanc sententiam versus 47—58 sequi, quibus oppositio continetur, Ritschelius l. c. recte exposuit.

Itaque Priapi oratio has continet partes: v. 9—14: deus poëtam dehortatur, ne pueros amet simulque eorum gratiam venustatemque collaudat. V. 15—36: praecepta specialia dantur, quo modo puerorum amor possit conciliari. V. 37—40: successus praeceptorum proponitur. Sequuntur praecepta generalia; v. 41—46: deus ad perseverantiam cohortatur, v. 47—58 dehortatur, ne iuventutem celeriter fugientem poëta praetermittat.

Tunc v. 61—66 poëtae, dum amoris magistrum se fore dicit, subito in mentem venit Marathi sui, cujus lento amore torquetur, simulque suspicio ei incedit, amatum puerum, auri aviditate ductum, diviti amatori se dedisse. Iratus propter pravos saeculi mores eum, qui primus pueri amorem auro sibi conciliaverit, detestatur puerosque, ut poëtas ament, adhortatur, quum qui eorum carminibus celebretur, in aeternum victurus sit.

Postremo eos, qui contemptis Musis auro Venerem vendant, summa contumelia dignos dicit.

Carminis textu hoc modo conformato breviter ostendam, qui versus in singulis pervetusti codicis paginis scripti fuerint atque hunc ad finem signis a Ritschelio l. c. datis uti mihi liceat.

Ia. v. 1—2‿Ib. 3—8.
IIa. v. 9—14‿IIb. 39—44.
IIIa. v. 45—52‿IIIb. 21—26.
IVa. v. 53—56‿IVb. 15—20.
Va. v. 27—32‿Vb. 33—38.
VIa. v. 73—78‿VIb. 79—84.
VIIa. v. 57—62‿VIIb. 63—70.

Itaque mea opinione anticae paginae folii III in inferiore parte duo versus 51 et 52 additi erant atque de folii IV antica pagina duo versus 71 et 72, nescio quo casu deleti, in marginem folii VI vel VII transpositi erant.

Ordo, quo scriba dissolutorum foliorum singulas paginas descripsit, erat hic: 1, 2, 3, 8, 6, 9, 10, 4, 5, 7, 13, 14, 11, 12. Sic textus libris manu scriptis nobis traditus exstitit. Carmen attento animo legentes videmus in singulis exponendis sententiis plerumque terna, interdum bina adhibita esse disticha, neque tamen ita, ut distichorum in singula systemata coniunctorum numeri accurate inter se congruant atque stropharum et antistropharum ratione respondeant. Et quamquam Ritschelius l. c. eam symmetriam magis fortuitam atque poëtae naturae et ingenio magis insitam, quam artificiosam merito dicit, miror quod doctissimus vir distichorum numeros inter se respondentes statuit hos:

3.|1. |3. 3. 3. 3.| 1. | 3. 3. 3. 3. | 2. 2. 2. | 2. 3. 2.

quorum numerorum responsio externa est, non enim exempli causa in unum systema coniungi possunt haec tria disticha:

„Si volet arma levi tentabis ludere dextra,
Saepe dabis nudum vincat ut ille latus;
Tum tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
Oscula pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti;
Post etiam collo se implicuisse volet,

nam primis duobus versibus praeceptum, quattuor sequentibus successus propositio continetur, quae res minime pari sunt vi. —

De ordine temporis, quo Tibulli elegiae scriptae sint, multum a viris doctis disputatum est, sed cum ne annus quidem, quo natus sit poëta, satis constet neque e carminibus ipsis — praeter IV, 1 et I, 7 — appareat certum tempus, quo conscripta sint, multa supersunt dubia, quae ut unquam satis possint absolvi vereor.

Neque tamen mea quidem opinione quaerendum erit „quando“ sed „quomodo“ non quo anno, sed „qua arte“ unumquodque Tibulli carmen conscriptum sit. Hoc modo inveniemus plures artis gradus, quibus singulae elegiae tribuendae erunt. Ac primus quidem summo acumine atque ingenio Gruppius l. c. Tibulli carmina tractavit, qui optime exposuit, elegias in singulos libros esse dividendas, quod quae iis continerentur arctissime inter se coniuncta essent. In iis libris, quos Gruppius statuit, etiam invenimus, cui inscriptum est nomen Marathi. Compositus est hic liber ex elegiis tribus I, 4, 8, 9, quas libris manu scriptis inter illas nobis traditae sunt, e quibus Gruppii expositione constat liber Deliae, quae omnes elegiae insunt in Tibulli carminum libro I nobis tradito.

Sed illorum trium carminum ordo non ad contextum eorum quadrat, quod si singu-

lorum argumentum spectes, intellegitur: Prima elegia libri Marathi argumentum sequentium duarum quasi exordio introducitur. Poëtae quaerenti ex Priapo, quomodo puerorum amorem sibi possit conciliare, deus ipse praecepta dat; deinde, postquam amoris quasi praeceptorem se praedicavit, subito pueri amati lenti amoris recordatus de saeculi pravis moribus conqueritur, qua re, quid secundo contineatur eius libri carmine I, 9, indicatur. Nam quod versibus 71 sqq. Tibullus generaliter pronunciat, ita ut quasi suspicio, qua captus est, leviter significetur, sequenti carmine I, 9 manifesto declaratur; poëta quod fidem laesam puerumque suum a sene quodam aegroto corruptum esse putat, vehementissime Marathum eiusque amatorem incusat atque detestatur.

Tertio huius contextus carmine eleg. I, 8 poëta, postquam cognovit se neglegi, quod Marathus Pholoën vehementissime amet, quodque a puella fastidiatur, puero condonat et puellam cohortatur, ne nimis sit fastidiosa, cum dii „fastidia" oderint, cumque poena superbos maneat. —

Quod ad elegiae I, 4 materiam attinet, non cum Ph. A. de Colbéryo (Albii Tibulli quae supersunt omnia opera ct. Parisiis 1826) poëtam ita vehementer vituperaverim, ut p. 483 legimus. Talis enim amor inter virum et puerum vel inter iuvenes veterum sententia haud nefandus neque legibus vetitus erat. Sane quidem concedendum, res illas amatorias apud libidinosos et corruptos homines foedissimas ac turpissimas fuisse, sed Tibullum poëtam multum abesse a turpitudine, non solum e carminis huius versibus 37—40 apparet, quibus tot munerum, tot laborum praemium oscula tantum et amplexus proponuntur, sed etiam ex elegia I, 9, ubi puerum suum et illum, a quo puerum corruptum esse putat, summa ira incensus detestatur. Atque valde ineptum mihi videtur, quod Colbéryus l. c. dicit, res Marathi amatorias post amorem Deliae locandas esse, quod „aetate provectiores in pueros plerumque rapiantur, non adolescentes." Primum quidem Tibullum triginta quinque fere annorum iuvenem mortuum esse, deinde poëtam ipsum eleg. I, 9 amorem suum opponere amori senis, qui puerum corrupisset, Colbéryum prorsus effugisse videtur.

Neque plane probaverim quod Gruppius l. c. p. 204 dicit: „Si puer immaturus neque sexus sui conscius viro totum se dare potest, paullatim a natura adducitur ad puellae amorem, atque omni primi amoris vi Marathus amat formosam Pholoën." — Quae verba ad amorem Tibulli in Marathum nullo modo quadrant; eum enim aequalem fere poëtae fuisse ex eleg. I, 9 versibus 41—44 clarissime elucet ac recte dicit W. S. Teuffelius, Studien ct. Leipzig 1871 p. 355, amicitiam magis quam amorem fuisse studium illud Tibulli in Marathum. Ac profecto, dum Marathus ab amico adiutus (cf. I, 9, 41 sqq). feliciter amat Pholoën, poëtae totum se dat, cum autem superbe ac male ab amata habetur, amicum neglegit abalienaturque ab eo.

Itaque poëta materia tractata minus errasse, quam moribus usitatis atque suae aetati i. e. iuventuti suae inservisse mihi videtur. — Sed aliae sunt etiam causae, cur eleg. I, 4 primo poëticae artis quasi gradui tribuenda sit. In posterioribus enim Tibulli carminibus semper collaudatur vita rustica, cuius in hoc carmine nulla fit mentio; sed insunt multae res mythologicae et circumlocutiones, ut in versibus 6, 7, 18, 20, 33, 34, 57, 58, 75, 77, 78, 82, quae res posteriori Tibulli simplicitati maxime repugnat. Adde quod toties adhibita est repetitio (*ἐπαναφορά*), ut in versibus 5, 6, 11, 12, 13, 43, 44, 45, 46, 48, 49, 50, quodque tardo quasi cursu carminis sententia progreditur, ut Teuffelius l. c. recte dicit, nam singulae partes multis exemplis allatis exponuntur atque nimis fuse lateque tractantur. Neque tamen

his de causis Tibullus ab arte poëtica omnino alienus fuisse putandus est, nam singulae carminis sententiae „quasi imagines parvae summa arte quodammodo pictae sunt.“ (cf. Grupp. l. c.) Qui enim poëta fortiores colores inferre potest Tibullo depingente puerorum occupationes, quibus ad amorem pelliciant? Quae rerum enumeratio, quibus puerorum amor concilietur, vel disertior vel gratior vel lascivior esse potest? (Ad ea cfr. Dissen. l. c.) Atque hoc carmen una cum eleg. I, 9 et 8 unam tractare rem, ita ut quasi unum efficiant carmen, supra iam dictum est. Huc accedit suavitas illa, quam Tibullus in formando hexametro et pentametro adhibuit quamque singulos tractantes versus notabimus. Ceterum cfr. Grupp. l. c. His expositis totius carminis textus eo quo equidem proposui ordine hic sequatur:

„Sic umbrosa tibi contingant tecta Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quae tua formosos cepit sollertia? certe
Non tibi barba nitet; non tibi culta coma est.
Nudus et hibernae producis frigora brumae,
Nudus et aestivi tempora sicca Canis.“
Sic ego: tum Bacchi respondet rustica proles
Armatus curva sic mihi falce deus:
O fuge te tenerae puerorum credere turbae
Nam causam iusti semper amoris habent.
Hic placet angustis quod equum compescit habenis;
Hic placidam niveo pectore pellit aquam.
Hic quia fortis adest audacia cepit; at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Tu puero quodcunque tuo tentare libebit
Cedas: obsequio plurima vincit amor.
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur
Et Canis arenti torreat arva siti.
Quamvis praetexens picea ferrugine caelum
Venturam admittat nimbifer Eurus aquam.
Seu si caeruleas puppi volet ire per undas
Ipse levem remo per freta pelle ratem.
Nec te poeniteat duros subiisse labores
Aut opera insuetas atteruisse manus.
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent.
Si volet arma levi tentabis ludere dextra
Saepe dabis nudum vincat ut ille latus.
Nec iurare time; Veneris periuria venti
Irrita per terras et freta longa ferunt.
Gratia magna Jovi; vetuit pater ipse valere
Jurasset cupide quidquid ineptus amor.
Perque suas impune sinit Dictynna sagittas
Affirmes crines perque Minerva suos:

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa; querellis
Supplicibus, miseris fletibus illa favet.
Tum tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
Oscula, pugnabit sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti,
Post etiam collo se implicuisse volet.
Sed ne te capiant primo si forte negabit
Taedia: paullatim sub iuga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida signa vice.
At si tardus eris, errabis! transiet aetas
Quam cito: non segnis stat remeatque dies.
Quam cito: purpureos deperdit terra colores,
Quam cito formosas populus alba comas!
Quam iacet, infirmae venere ubi fata senectae,
Qui prior Eleo est carcere missus equus.
Vidi iam iuvenem, premeret cum serior aetas,
Maerentem stultos praeteriisse dies.
Crudeles divi! serpens novos exuit annos,
Formae non ullam fata dedere moram.
Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventa,
Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
Haec mihi, quae Titio canerem, deus edidit ore,
Sed Titium coniunx haec meminisse vetat.
Pareat ille suae. Vos me celebrate magistrum
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est: me qui spernentur amantes
Consultent, cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit cum me Veneris praecepta ferentem
Deducat iuvenum sedula turba senem.
Heu heu quam lento Marathus me torquet amore;
Deficiunt artes deficiuntque doli.
Parce, puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
Cum mea ridebunt vana magisteria.
Heu male nunc artes miseras haec saecula tractant
Jam tener assuevit munera velle puer.
At tu, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos et amate poëtas
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma, carmina ni sint

Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus,
Dum caelum stellas, dum vehit amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idaeae currus ille sequatur Opis
Et tercentenas erroribus expleat urbes
Et secet ad Phrygios vilia membra modos. —

V. 12. „*Sic*“ adhibetur in formulis obtestandi ut II, 5, 121 sq.

. . . Sic tibi sint intonsi Phoebe capilli
Sic tibi perpetuo sit tibi casta soror

et II, 6, 30:

Sic bene sub terra parva quiescat humo.

„*Umbrosa tecta*“ i. qu. arborum umbra, nam Priapi statuae in hortis sub divo poni solebant, quibus aves et fures arcerentur; cf. I, 1, 17

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeva falce Priapus aves

et Hor. Sat. I, 8, 1 sqq.

Priapus a poëta interrogatur, quod eum maxime ad amores propensum esse veteres censebant. Vox „*soles*“ voci „*umbrosa,*“ vox „*nives*“ voci „*tecta*“ respondet; utraque altera alteri opposita in fine dimidiarum pentametri partium posita est, ut infra v. 66 „*iuvenum*“ — „*senem*“.

V. 3. 4. Sensus: qua arte quave indole formosos scil. pueros ad amorem pellicis, quamvis forma turpissima sis? Ad quae conferantur, quae deus ipse de se confitetur in Lusib. Ep. 40.

. . Me pulchra carere forma,

ad quae cf. Hor. Sat. I, 8.

Interpunctionem graviorem post quintum hexametri pedem (v. 3.) a Tibullo bis tantum adhibitam esse L. Muellerus (praef. Tib. carm. p. XXX) notat.

Orationem v. 4 repetitione adhibita graviorem esse voluit poëta.

V. 5, 6 opponuntur frigoribus hibernae brumae i. e. hiemis frigori tempora sicca aestivi Canis i. e. calori aestatis.

V. 7, 8. „*Sic ego*“ oratio elliptica est; supplendum est „*dixi.*“

Rustica proles Priapus dicitur, quod deus hortorum ruri potissimum colebatur; mentione digna est adiectivorum „*armatus curva*“ in priore pentametri parte collocatio, qua legentis animus quasi contenditur ut infra in vv. 12, 14 ct.

V. 9, 10. „*O fuge te credere*“ constructio minus usitata pro „*ne nimis credas*“, quod periculum est, ne ad amorem eorum pelliciaris atque quodammodo cogaris. Cui loco simillima sunt, quae Socrates in Xenoph. memorab. I, 3, 8—13 de periculoso formosorum aspectu iocans dicit.

V. 11—14. Vividius poëta depingens puerorum occupationes singulis versibus singulas memorat res et v. 12. variat orationem.

„*Aquam pellit*“ i. qu. „*per aquam natat*“ ut III, 5, 30.

Et facilis lenta pellitur unda manu.

V. 14. In fine prioris pentametri partis Tibullus ponere solet adiectivum, in fine alterius partis substantivum; „*teneras*“ — „*genas*,“ ita ut, si eadem flectuntur declinatione, consonantia quodammodo efficiatur, ut infra in vv. 18, 50, 56, 80, 84; ad quae cf. Hor. Od. I, 36, 4;

Qui nunc Hesperia sospes ab ultima.

et Od. IV, 1, 34:

Manat rara meas lacrima per genas.

Ceterum ad v. 14, cf. Hor. Od. IV, 13, 6 sqq.

— — Ille virentis et
Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis.

et Sophocl. Antig. v. 783 sq.

ὃς ἐν μαλακαῖς παρει —
αῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις.

Vere poëtice atque suavissime hos versus a Tibullo dictos esse apparet hinc: Enumerantur res, quibus queri placent, atque vv. 11, 12 corporis, vv. 13, 14. animi virtutes memorantur ita quidem, ut corporis agilitati et fortitudini, quae v. 11 significatur, opponatur habilitas illa et quasi mollitia, quae ostenditur natando per pladicas undas (v. 12), cum audaciae forti, quae dicitur v. 13., opponatur modestia ac virgineus pudor; neque hanc ob rem merito pro „*placidam*‘ scripsisse „*facilem*“ H. Vossium puto.

V. 15, 16. „*Tu*“ a poëta de industria dictum esse pro transitu omisso supra iam expositum est. Continetur his versibus summa sententiae, quae iis qui sequuntur amplius exponitur praeceptis specialibus datis usque ad versum 36. Eandem dicendi rationem poëta adhibuit infra in vv. 29, 30, 35, 36. —

V. 18. Metaphorice dictum est „Canis torret arva siti arenti“ pro „aestatis calore arva torrentur“ ut infra v. 26.

V. 19, 20. Cum recentioribus scribendum esse „*Eurus*“ pro „*arcus*“ puto, quod vox, ‚*arcus*“ eadem atque „*Iris*“ notione rarissime a poëtis — Hor. art. poët. 18 — adhibita est. Eurum autem caelo obscurato tempestates atque imbres cogere, elucet ex Hor. Od. II 16, 23

. . . . . . agente nimbos
Ocior Euro.

Epod X, 5 sq.

Niger rudentes Eurus inverso mari
Fractosque remos differat.

Epod. XVI, 53 sq.

. . . . ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus.

V. 23, 24. Infinitivum perfecti pro praesentis temporis apud Tibullum quoque maxime usitatum esse e multis locis apparet ut infra in v. 40. IV, 6, 6, 18 etc. Neque tamen cum Gruppio l. c. p. 18 putaverim, poëtas difficultate quadam pentametri formandi ad eum infinitivi ductos esse usum, quem literarum Graecarum potius auctoritati atque consuetudini tribuo.

V. 25, 26. Humeri retia ferre negent pro „humeris retia ferre neges;“ cf. IV 3, 12,

Ipsa ego per montes retia torta feram.

V. 27, 28. Quod priori versu dictum est, altero accuratius definitur. Voces *„ludere"* et *„latus nudum dare"* de disciplina gladiatoria petitae sunt ut infra in v. 59 *„canere"* et *„ore edere"* de oraculorum cultu et in v. 64. *„consultent"* et *„ianua patet"* de JCtorum disciplina.

Ad vv. 29—32 cf. III 6, 49 sq.

. . . . periuria ridet amantum.
Juppiter et ventos irrita ferre iubet.

Quae quam iocose et lascive dicta sint, ex aliis Tibulli locis apparet, ubi haud parvam iuri iurando tribuit gravitatem, ut I, 9, 2 sq.

A miser, et si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis Poena venit pedibus

et I, 3, 51

. . . . . timidum non me periuria terrent.

Quod vv. 29—30 continetur, dicit Ovid. Art. I, 632.

Juppiter ex alto periuria ridet amantum

et Hor. Od. I, 8, 13

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa.

V. 32. Ineptus dicitur amor, quod qui amore vehementissimo captus est, quasi insanit, ita ut incenso quodammodo animo vanas promittat res.

V. 33, 34. Continentur exempli causa duae iurisiurandi formulae. Nominantur, id quod Heynius recte monuit, Dictynna i. e. Diana et Minerva propter castitatem.

Varias fuisse iurandi et obstestandi et orandi rationes inter amantes elucet ex I, 5, 7 sq.

. . . . . per te furtivi foedera lecti
Per Venerem quaeso compositumque caput.

et III, 6, 47 sq.

Etsi perque suos fallax iurabit ocellos
Iunonemque suam perque suam Venerem

et IV, 5, 7 sq.

. . . . . per te dulcissima furta
Perque tuos oculos per Geniumque rogo.

Ad vv. 35, 36 cf. IV, 13, 24, ubi poëta, quae h. l. disertius exponit, complectitur verbis „supplicibus favet."

V. 37—40 suavissime tot laborum, tot artium, tot dolorum successus amorque gradatim auctus depingitur: Primo quidem rapies oscula, postquam mitem tibi reddideris, atrociter non resistet, tum rogatus oscula tibi dabit, postremo ultro amore victus te amplectetur.

Ad vocem *„oscula rapere"* cf. Hor. Od. II, 27 sq.

Quae (oscula) poscente magis gaudet eripi
Interdum rapere occupet.

V. 41, 42. In his versibus inest summa sententia, quae versibus 43—46 exemplis illustratur. Sensus v. 42 est hic: postquam artibus, quas modo dixi, puerum tibi mitem reddideris, amorem tibi non recusabit. — Ad verba *„sub iuga colla dabit"* cf. I, 2, 90,

. . . . . . Veneris vinclis subdere colla.

V. 43—46. Epanaphoram a poëta haud inconsulte bis adhibitam esse putaverim, nam verbis *„longa dies“* et *„annus“* bis repetitis quasi pingitur temporis cursus constans neque unquam intermissus, quo quae aeterna naturae lege praecepta sunt feruntur ut anni temporum vices et ortus occasusque siderum.

V. 47. 48 continetur summa sententia: „iuventam celeriter fugientem non praetermittendam esse“, quae versibus 49—58 exemplis e natura, ex animalium sorte, ex hominum vita petitis accuratius exponitur atque illustratur.

Brevem finalem syllabam vocabuli *„eris“* (v. 47.) vi caesurae penthemimeris productam esse dicit L. Muellerus l. c. p. XXXI.

Idem in libros suo de re metrica ct. p. 403 locos collegit, quibus auctores latini verborum antiquis formis usi sunt, ut h. l. (v. 47) *„transiet“* pro *„transibit“* a poëta dictum est. Aetas h. l. idem quod iuventa significat, quod ex iis quae sequuntur usque ad v. 58 elucet; cf. Hor. Od. II, 3, 15, ubi poëta Dellium frui iubet vita, dum aetas, i. e. iuventa, patiatur.

V. 48. „Non segnis“ dicitur dies, quod continuo labitur; cf. Hor. Od. III, 28, 6 et IV, 13, 16, ubi dies dicitur „volucris“. Ad verba „stat remeatque“ cf. Hor. Od. II, 18, 15:

Truditur dies die.

Ad vv. 53, 54. cf. I, 2, 89 sqq:

Vidi ego qui iuvenum miseros lusisset amores.
Post Veneris vinclis subdere colla senem sq.

„Serior aetas“ i. q. I, 1, 71 „iners aetas“ i. e. senectus.

V. 55, 56. Serpentis exemplo iuventutem exuviis positis renovantis poëtae saepe utuntur; cf. Ovid Met. IX, 266:

Utque novus serpens posita cum pelle senecta

et Ovid. Art. III, 77:

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas.

V. v. 57, 58 fortiter clauditur dei oratio atque imprimis adhortatio, ne poëta praetermittat iuventutem, ad quam adhortationem cf. I. 8, 47 sq.

At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere; non tardo labitur illa pede.

Magna cum vi in versus 57 initio positum est vocabulum *„solis“*. Ad vocem *„intonsus crinis“*, qua re deorum aeterna iuventus significatur; cf. IV, 4, 2:

Huc ades intonsa Phoebe superbe coma,

et Ovid. Met. III, 421:

Et dignos Baccho dignos et Apolline crines.

et Ovid. Amor, I, 1, 11, ubi Phoebum crinibus insignem dicit poëta.

V. 59. 60. Titium nomen esse fictum, quo iurisconsulti utebantur (hodie N. N.), W. Teuffelius l. c. p. 357 recte dicit; neque, quod nonnulli voluerunt, amicum eum Tibulli fuisse vel poëtam illum Titium Septimium, Horatii familiarem, ad quem scriptum est carmen II, 6 quemque Horatius epistola I, 9 Tiberio commendat, puto. Quod et e Iuv. IV, 13:

Nam quod turpe bonis Titio Seioque decebat

Crispinum . . .

et inde apparere mihi videtur, quod neque initio eleg. I, 4 poëta mentionem eius facit quodque Titii personam paene omittens celeriter a dei verbis ad se suasque transit res. Praeterea, si recte opinatur Teuffelius, hoc carmen ex Hor. Sat. I, 8 et II, 5 imitatione ita conscriptum esse, ut partes inter ipsum poëtam et deum dividerentur, tertia persona certe non fuit adhibenda.

Vv. 61—66. His versibus quasi variatur eadem sententia: „Ego amatorum infelicium magister et adiutor ero". Huc potissimum pertinet, quod Teuffelius l. c. dicit, poëtam interdum quasi stare in una sententia exponenda. —

V. 67. 68. Cum Colbéryo l. c. legi velim

Heu heu quam lento ct;

duobus enim tardigradis spondeis quasi pingitur lentitudo illa amoris, qua poëta torquetur, ut infra de industria poëtam formasse versum 80 puto, ut duobus spondeis, — dum caelum stellas — atque zeugmatis figura adhibita vitae aeternitas, quam poëtae efficiunt carminibus suis, significetur. Aptissime Colbéryus ad hunc locum citat Hor. Od. I, 13, 8:

. . . . arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus.

V. 67. Lento amore torquetur poëta, quod antea amatus nunc neglegitur atque fastiditur, quod et ex II, 6, 36 sq.

Illius ut verbis sis mihi lenta veto,
Nec tibi neglecti mittant mala somnia Manes

et e contextu, quo hoc carmen cum I, 9 et I, 8 coniunctum est, elucet.

Marathus certe pueri amati verum nomen non est, solebant enim poëtae fictis nominibus, imprimis Graecis, in carminibus suis uti. Sic Tibullus „Planiam" suam dicit „Deliam", ut tradit Apuleius.

V. 68. *„Artes"* ad munera et servitia a deo vv. 15—28 enumerata, *„doli"* ad Veneris periuria (vv. 29—36) pertinent, quae voces in fine dimidiarum pentametri partium positae altera alteri respondent. —

V. 69. 70. *„Parce"* formula supplicandi apud Tibullum maxime usitata; cf. I, 8, 59. I. 9, 5. II, 6, 29. IV, 3, 1 ct. —

Ad vocem *„fabula"* cf. II, 3, 31:

Fabula nunc ille est . . . .

et Hor. Epod. 11, 8:

Fabula quanta fui!

Pentameter finitur vocabulo pentasyllabo, quod apud Tibullum raro fit, ut I, 2, 42; plerumque in fine posita esse vocabula disyllaba videmus; tetrasyllabo finitur I, 1, 38. 54 ct, trisyllabo I, 3, 30, 32 ct.

V. 71. 72. Quod priori versu dictum est, sequenti accuratius definitur.

Ad v. 72 cf. I, 9, 11:

Muneribus meus est captus puer.

et I, 9, 51 sq.

Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est
Et pretium plena grande referre manu,

ubi poëta, quod v. 72 generaliter neque tamen sine suspicione dictum est, ira incensus manifesto ac pro certo dicit.

Vv. 73, 74. Vehementissime poëta eum exsecratur, qui corruptionem primus in amore reconciliando adhibuerit; ad quos versus cf. I, 9, 53 sqq:

At tu, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis uxor inulta dolis sqq.

Exsecrationi „*infelix urgeat ossa lapis*" contrarium est illud, quod poëta dicit II, 4, 50:

Terraque securae sit super ossa levis

et II, 6, 30:

Sic bene sub tenera parva quiescat humo.

V. 75, 76. Quod priori versu dictum est, altero repetitur (Parallelismus), quod saepe facit Tibullus, ut I, 2 et 3:

Quem labor assiduus vicino terreat hoste
Martia cui somnos classica pulsa fugent

et I, 3, 21 et 22:

Audeat invito nequis discedere amore
Aut sciat egressum se prohibente deo.

Musae vel Musarum artes „Pierides" saepe a poëtis dicuntur; cf. IV, 2, 21:

Hanc vos Pierides festis cantate Calendis

et Hor. Od. IV, 3, 17 sq:

O testudinis aureae
Dulcemque strepitum, Pieri, temperas.

„Doctos" Tibullus poëtas dicit, quod sciunt carminibus pueros amatos celebrare, ad quod cf. Anacreontis verba (Anthol. lyr. frg. 45 ed. Th. Bergkius):

Ἐμὲ γὰρ λόγων (ἐμῶν) εἵνεκα παῖδες ἂν φιλοῖεν
Χαρίεντα γὰρ μὲν ᾄδω, Χαρίεντα δ᾽οἶδα λέξαι.

V. 77, 78. Duobus exemplis e Graecorum mythologia petitis poëtarum auctoritas atque gravitas docetur; quas res notissimas narrat Ovid. Met. VIII, 81 sqq. et VI, 403 sqq. —

Pedestri oratione pro „*carmina ni sint*" diceremus „*carmina ni essent*", quod sequitur, „non nituisset;" cuius constructionis est alterum exemplum I, 8, 22:

Et faceret si non aera repulsa sonent.

Recte L. Dissenius l. c. p. CLXXIX dicit: praesenti tempore poëta utitur, quod intentiore animo ac vividiore quodam phantasiae motu loquitur, qua re in medias res praesentes nos ducit.

Vv. 81—84. Totum carmen exsecratione fortissime clauditur atque de industria poëtam in v. 81 quattuor deinceps spondeos adhibuisse existimo, ut oratio fortior fieret atque gravior corruptionis dehortatio.

Nota est Opis Phrygiae i. e. Cybeles matris sacerdotum dementia, qua de re diserte agit Heynius in annotationibus ad versus 68, 69, 70.

Schulnachrichten
(von Ostern 1875 bis Ostern 1876).

I. Lehrverfassung.

Prima.

Ordinarius: Director Dr. Müller. Cursus zweijährig.

Religion. a. Evangelische. Lektüre des Briefes Pauli an die Römer in der Ursprache. Geschichte der Reformation und ihrer Vorläufer. Repetition der Hauptstücke und Lieder. 2 St. Wolff.

b. Altkatholische. Symbolik nach Möhler. Die Hauptdogmen der katholischen Kirche, beurtheilt nach dem Kriterium quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est. Kirchengeschichte vom 8. Jahrhundert bis zur Reformation. Einleitung in das neue Testament. 2 St. Kaminski.

c. Katholische. Geschichte der christlichen Kirche. Die Lehre vom Glauben in seinem Wesen und Verhältniss zur Vernunft, von Gott dem Einen und Dreipersönlichen, dem Schöpfer und Erlöser. 2 St. Kunisch.

d. Jüdische. Die Juden unter den römischen Kaisern. Die babylonischen Lehrhäuser. Der Talmud. Glanzperiode der jüdischen Wissenschaft in Spanien. Pflichten der Selbstliebe. Lektüre aus den Propheten. 2 St. Cohn.

Deutsch. Repetition des in II durchgenommenen Pensums. Lessings Leben und Bedeutung für die deutsche Litteratur. Lektüre der Minna von Barnhelm, der Emilia Galotti, einiger Abschnitte der hamburgischen Dramaturgie und des Laokoon. Besprochen und zum Theil gelesen wurden das Vademecum für den Pastor Lange, die Abhandlungen über die Fabel und das Epigramm und Nathan der Weise. Herders Leben und Schriften. Besprechung der Abhandlung über das Epigramm, des Cid und Lektüre einiger Briefe zur Beförderung der Humanität. Freie Vorträge zumeist über Lessings und Herders Schriften. Disponierübungen. Uebersicht der wichtigsten logischen Gesetze. Alle vier Wochen ein Aufsatz. 3 St. Müller.

Themen zu den deutschen Aufsätzen: 1) Mein Leben. 2) Jung gewohnt, alt gethan. Chrie. 3) Gang der Handlung in Lessings Minna von Barnhelm. 4) Auf welchem Wege gelangt Lessing in seinem Laokoon zu dem Satze, dass die Malerei Körper, die Poesie Hand-

lungen darzustellen habe? 5) Warum ist besonders Italien für die Deutschen das Land der Sehnsucht? (Klassenarbeit). Wer ist gebildet? 7) Lessings und Jacob Grimms Ansichten über die Fabel. 8) Lessings Verhältniss zu seinen Eltern, dargestellt aus seinen Briefen an dieselben. 9) Lessings Verdienste um die deutsche Litteratur. (Klassenarbeit). 10) Der Charakter des Cid, nach Herders Gedicht.

Lateinisch. Hor. carm. lib. I—III, 6 mit lateinischer Erklärung. Cic. in Verrem lib. IV. Tac. Agricola. Cic. de off. lib. 1. Sall. Iugurtha und Cic. pro Marcello privatim. Repetition der Moduslehre. Mündliches Uebersetzen aus dem 2. Theile von Süpfles Aufgaben. Wöchentlich ein Exercitium oder ein Extemporale. Monatlich ein Aufsatz. 8. St. Müller.

Themen zu den lateinischen Aufsätzen: 1) Quibus de causis bellum civile inter Caesarem et Pompeium ortum sit. 2) De Ciceronis probitate, constantia, prudentia in Verris accusatione patefacta. 3) De signorum rapinis a Verre praetore in Sicilia factis. 4) Quam mobilis sit aura popularis, exemplis e Graecorum historia desumptis demonstretur. (Klassenarbeit). 5) Cur Sallustius aequalibus suis belli Iugurthini memoriam renovaverit. 6) C. Marii mores ex Sallusti de bello Iugurthino libro describuntur. 7) Quo jure Sulla felicissimus omnium a Sallustio sit appellatus. 8) De Taciti Agricolae compositione et consilio. 9. Res publica Romana calamitatibus acceptis majores animos habuit quam rebus secundis. (Klassenarbeit). 10) De Horatii vita et moribus.

Griechisch. Hom. Il. lib. I—VI, zum Theil privatim. Soph. Antig. Plat. Apol. Socr. und Crito. Thuc. l. I. c. 1—60. Gramm. nach Kühner §. 178—189 mit den entsprechenden Aufgaben zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Griechische. Alle zwei Wochen ein Exercitium oder Extemporale. 6 St. Polster.

Französisch. Capefigue, Histoire de Charlemagne. Racine, Phèdre. Grammatische Repetitionen und Übungen. Alle zwei Wochen ein Exercitium oder ein Extemporale, 2 St. Frosch.

Hebräisch. Formenlehre nach Seffers Elementarbuch der hebr. Sprache §. 65—100 mit den entsprechenden Übungsstücken. Ausserdem Lektüre der zusammenhängenden Lesestücke IX—XXIV. 2 St. Arens.

Geschichte und Geographie. Geschichte des Mittelalters bis zum Concil von Costnitz 2 St. Geographie der Länder Europas. 1 St. Braxator.

Mathematik. Repetition und Fortsetzung der Trigonometrie. Die Lehre von den Kettenbrüchen. Diophantische Gleichungen. Combinatorische Operationen. Der binomische Lehrsatz. Alle vier Wochen eine schriftliche Arbeit. 4 St. Frosch.

Physik. Die Lehre vom Licht und der Wärme. 2 St. Frosch.

Secunda.

Ordinarius: Oberlehrer Polster. Cursus zweijährig.

Religion. Combiniert mit Prima.

Deutsch. Kurze Einführung in die Geschichte der deutschen Sprache. Das Wesen der epischen Poesie. Inhalt des Nibelungenliedes und der Gudrun. Charakter der Lyrik, erläutert an einigen Gedichten Walthers von der Vogelweide. Uebersicht der Litteraturge-

schichte bis Luther. Lektüre einiger kleiner Schriften Luthers und von Fischarts. „Das glückhaft Schiff von Zürich“ nach dem Lesebuche von Paulsiek für II und I. Leben und Schriften von Opitz. Lektüre einiger Gedichte desselben und von Fleming. Uebersicht der deutschen Litteraturgeschichte bis zum Anfange des 18. Jahrhunderts. Freie Vorträge über Themen, die sich aus dem litterarhistorischen Unterricht ergaben. Alle 4 Wochen ein Aufsatz. 3 St. Polster.

